

Dissertatio inauguralis medica de spiritus vini usu et abusu ... / pro gradu doctoris medicinae et chirurgiae rite obtinendo eruditorum examini submittit auctor Nicolaus Jaenisch ... Die I. Octobr. MDCCLXXXIII.

Contributors

Jaenisch, Nicolaus.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae : Typis Ioann. Christ. Dieterich, [1793]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m9gp8ncn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

LONDON
DISSERTATIO INAVGVRALES MEDICA
DE
SPIRITVS VINI
VSV ET ABVS

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE
RITE OBTINENDO

ERVEDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
NICOLAVS JAENISCH
WYBVRGA ROSSVS

DIE I. OCTOBR. MDCCLXXXIII.

GOTTINGAE
TYPIS IOANN. CHRIST. DIETERICH.

La vie est une ivresse successive: Le plaisir
passe, le mal de tête demeure.

Sentence appliqué sur une face du Salon
du Magacin de vin a Ispahan. v. CHAR-
DIN voyage en Perse. T. III, p. 26.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
GEORGIO THOMAE
S. R. I. LIB. BAR. AB ASCH
AVGVSTISSIMAE TOTIVS ROSSIAE
IMPERATRICIS
CATHARINAE II.
CONSILIARIO STATVS
EXERCITVVM ROSSICORVM MEDICO GENERALI ET
PRIMARIO IMPERIALIS COLLEGII MEDICI MEMBRO,
ACADEMIAE IMPERIALIS SCIENTIARVM PETROPOLI-
TANAE,
REGIAE SOCIETATIS GOTTINGENSIS,
ELECTORALIS SCIENTIARVM VTILIVM MOGVN-
TINAE ET NATVRAE SCRVTATORVM
DANTISCANAE SODALI etc.
PATRONO ET MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO

NEC NON

VIRIS ILLVSTRIBVS

DOCTISSIMIS ATQVE EXPERIEN-
TISSIMIS

DOMINO

JOAN. HENR. JAENISCH

M. D.

ET

JOAN. JAC. KLINDT

M. D.

MAIESTATIS SACRAE CAESAREAE ROSSIAE A
CONSILIIS AVLICIS

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

AVCTOR.

HISTORIA.

§ 1.

A primis iam inde temporibus homo potu simplicissimo, aqua, haud contentus, ad alia, palato blandientia exquirenda, innato quasi desiderio, ferebatur. Primum inter eiusmodi potus, quos memoria humana prodidit, vinum merito refertur. Noachus iam, historia sacra testante, vineam colere coepit, eandem artem Osiris Aegyptios, Bacchus vero Graecos docuisse dicuntur *a*).

A 4

§ 2.

a) HALLERI *Element. physiol.* T. VI. p. 244.
GOGUET *Untersuchung von dem Ursprung der Gesetze, Künste und Wissenschaften.*
Lemgo, B. I. p. 105.

§ 2.

Huic potui non diu inhaerebatur; consuetudo enim ipsa effectui desiderato obstans, excitauit desiderium, vt ad vina fortiora exquirenda incitarentur *b*).

§ 3.

Tandem autem eo processerunt, vt etiam solam partem spirituosam ex vino extrahere conarentur; sed serioribus demum temporibus hanc artem inuenerunt. Nam destillationem adhuc Graecis incognitam fuisse, obseruat LE CLERC his verbis: "Il ne se trouuera pas que du temps de Dioscoride les Médecins eussent connoissance de la destillation, ou se servissent de vaisseaux propres pour distiller. On n'en voit aucune trace dans tous les Ecrits de Galien, qui a vécu quatre-vints ans après Dioscoride, quoique Galien ait parlé fort au long de la préparation de

b) Geschichte der deutschen National-Neigung zum Trunke. Leipzig, 1782. p. 4.

de toutes les sortes de médicamens, qui étoient en usage de son temps. Et je ne pense pas non plus qu'il y ait rien sur ce sujet, dans les Ecrits des autres Médecins Grecs, beaucoup moins anciens que lui, tels que sont Oribase, Aëtius, Paul Eginete et quelques autres, qui ont pourtant fort amplement traité la même matiere de la composition des médicamens c). Vnanimi igitur propemodum consensu inuentio huius artis Arabibus adscribitur d), quamuis haec gens tunc temporis ignorantiae tenebris adhuc immersa non nisi cultura, quam a Graecis primo accepit ad disquisitiones huius generis adducta

A 5

fuisse

c) *Histoire de la Medecine par Mr. LE CLERC*
Amsterdam 1723. P. III. L. II. p. 641.

d) *Deutsche Encyclopaedie von einer Gesellschaft Gelehrten*, Art. *Brandtwein*. —
SCHLÖZER *Briefwechsel*, Th. 7. Heft 37.
p. 7. — LINNE *Diss. de spiritu frumenti*
respond. BERGIO, vid. in LINNEI *Amoenit.*
acad. Vol. 7. p. 265.

fuisse videatur. Vix itaque inuentum hoc ante tempora Chalifae MAMON, circa annum 801, factum esse, statui potest e). Qui quidem vti omnibus notum est, per lectionem ARISTOTELIS aliorumque Graecorum, quorum libros in linguam arabicam verti curauit, facilius populum ad eam maturitatem perduxit, vt eiusmodi inuentionibus faciendis aptior esset.

§ 4.

Diu autem haec ars tantummodo in destillanda aqua aromatica versabatur. Et saeculo demum XIII Spiritus vini praeparatio inuenta fuisse videtur f).*)

ARNOL-

e) SCHLÖZER l. c. p. 8.

f) Ibid. p. 10.

*) CONRING *de habitus corporum germanicorum etc. causis*. Francof. ad Moen. 1727. p. 370. Detectionem spiritus vini Aegyptiis adscribit. Et I. R. FORSTER in germanica versione. BERGIUS *über die Leckereyen*. Halle, 1792. p. 15 in Nota dicit:

Horum

ARNOLDUS DE VILLANOVA († 1313) et RAYMUNDUS LULLIUS († 1315) inventores destillationis vini a multis huc vsque fuerunt praedicati. Prior quidem eius tamquam rei notissimae mentionem facit; LULLIUS autem “de Secret. nat. P. II. p. 95” inquit “quod nullus modernorum sciuit, nec ad eius peruenit notitiam, nec videmus in diebus nostris, quod quis intelligeret de hoc quidquam.” Ipse ille autem multis in locis scriptorum suorum Villanouvam magistrum suum fuisse profitetur, qui quidem hac de re, tamquam notissima, loquitur. Vtrisque itaque maxima cum certitudine inuentionem denegari posse puto, etiamsi inter primos numerari videantur, qui eius mentionem iniiciunt.

§. 5.

Horum potuum spirituosorum destillatorum notitiam ab Indis Sinensibusque ad Saracenos et Arabes prouenisse.

§. 5.

Non statim autem Spiritus iste vini simulac inuentus est in vsum abiit communem ac quotidianum, sed per longa tempora Medici soli et quidem ad morbos sanandos eum vnice adhibebant, vimque illi tam admirabilem tribuebant, vt nomina etiam exquisitissima vti "Aqua vitae" "Ros solis" etc. ei dederint.

Vbi autem modus praeparandi hunc potum in vulgus emanauit, tum vsus eius frequentior est factus. Quum vero tunc temporis ex solo tantum vino, vt ex praescripto LULLII et ipso nomine "spiritus vini" adparet, imo vero secundum alios non nisi ex optimis vinis pararetur g), vsus eius copiosior ditioribus tantum solennior erat.

§. 6.

Tandem inuenta ars est, spiritum istum etiam ex frumento, longe leviori

g) *Hamburgisches Magazin des 3ten Bandes 2. Stück p. 147.*

viori cum sumtu, comparandi; vnde
 vsus eius magis inualuit, maximamque
 adtentionem Statisticorum, Philoso-
 phorum ac Medicorum in se conuertit.

§. 7.

Cel. KRAFT scribit *h*), “omnes Bar-
 baros eo statu sibi valde placere, in
 quo homo sui ipsius impos, quodam-
 modo insaniat, vtpote quem pro prae-
 ternaturali et quasi divino habent.”
 Imo omnes fere gentes potum istum
 sibi communicatum maxima cum cu-
 piditate receperunt. Ipsi Turcae, qui-
 bus religio vsum potuum fortiorum
 vetat, ab spiritu nostro sese cohibere
 non possunt, testante CHARDINIO: Le
 vin et les Liqueurs enyvvrantes sont
 defendues aux Machometans; cepen-
 dant il n’y a presque personne qui ne
 boive de quelque Liqueur forte. Dès
 qu’ils sont échaufez ils trouvent le Vin
 trop

h) *Die Sitten der Wilden. Kopenhagen*
 1766. p. 192.

trop foible, il leur faut de l'eau de vie, et la plus violente est la meilleure *i*).

Certe mirandum est, hunc statum insaniae non obstantibus sensationibus dolorificis, quibus comitatur, tam multis populis valde placere. Vt v. c. Kamtschadali, Koraecae, Ostiaci et Tungusae, mirabili cupiditate per deuorationem agarici muscarii eiusmodi statum insanum et furiosum quaerant *k*). Alii Barbari fumum herbae Nicotianae tam diu per nares trahunt, donec vertigine correpti semianimes humi prosternantur *l*) Arabes inferiorum ordinum folia canabis fumant ad temulentiam producendam *m*), nobiliores opium edunt.

§. 8.

i) *Voyage de Mr. le Chevalier CHARDIN EN PERSE.* Amsterdam 1711. T 2. p. 67.

k) *STELLER Beschreibung von dem Lande Kamtschatka.* p. 92.

l) *KRAFT Sitten der Wilden.* p. 194.

m) *NIEBUHR Beschreibung von Arabien.* Copenhagen 1772. p. 57. 20.

§ 8.

Quod autem ad vsum spiritus vini in Rossia, patria mea, attinet, hunc iam Saeculo XV admodum frequentem fuisse reperio. MATHIAS A MICHOVIA († 1523) in fragmento de Moschouia sequentia de Rossis narrat. "Saepenumero autem vtuntur calefacientibus aromatibus, saepe et sublimatis, de aromatibus, de melle vel alio calefactorio, ita vt et de auena aquam ardentem siue sublimatum faciant et bibant ad effugandum et repellendum algorem et frigus: alioquin ex frigore congelarent" *n*). Quod idem etiam apparet ex commentariis liberi Baronis a HERBERSTEIN *o*).

Et

n) *De Moschouia* MATTHIAE A MICHOVIA († 1523) desumpta ex corpore historiae polonicae. Basileae, 1582. T.I. p. 149.

o) Baronis DE HERBERSTEIN *Rerum Moscoviticarum Commentarii*. Basileae, 1556. p. 128.

Et quousque iam eo tempore Rossi in eius abusu processerint, videre licet ex anonymi Epistola ad *Chytraeum*, in qua sequentia leguntur. “Mox calix vino adusto plenus obambulat et hunc liquorem non aliter potant, quam vaccae algentes vndas, vt in prouerbio dicitur. Neque tamen hoc ipsorum factum certa ratione caret: Vix enim illos ob ciborum cruditatem viuere posse arbitror, si tam forti potu stomachi frigiditatem non propulsarent” *p*). Quod autem BERGIUS auctori huius epistolae tribuit; scilicet, illum ibidem dixisse foeminas viris in bibendo nihil cedere, in tota epistola, quod in honorem conciuuium mearum dictum sit, non potui reperire.

§ 9.

p) De Russorum religione, ritibus, nuptiarum, funerum, victu, vestitu etc. ad Davidem Chytraeum recens scripta Anno 1581 videatur in NEANDRI *Orbis Terrae Partium explicatio* etc. Lipsiae, 1589.

§ 9.

Qualem vero rigorem iam his temporibus ad praecauendum abusum spiritus vini apud nos leges contra suos adhibuerint, et quam indulgenter e contrario hac in re eadem extraneos habuerint, ex descriptione GWANINI facile adparet, qui denique inquit, trans fluuium, BASILIUS pater moderni principis, pro satellitibus suis, caeterisque extraneis Polonis videlicet Germanis et Lituaniis (qui a natura Bachum sequuntur) oppidum NELEWKI dictum, quod cognomen ab infundendis poculis habet, extruxit. Illic vero omnibus extraneis militibus et aduenis, satellitibusque Principis, inebriandi vario potus genere, facultas concessa est, quod Moschouitis graui sub poena prohibetur. Exceptis aliquot diebus in anno etc." q).

WIA,

q) Omnium Regionum Moscouiae Monarchae subiectarum morum et religionis descriptio

B

etc.

WIA, "carent vino et oleo, et ne inebrientur, Princeps terrae prohibet ne medo aut liquor inebrians in aliqua domo reperiatur, sub poena vitae, nisi bis aut ter in anno venia Principis r).

§ 10.

Sed haec pauca dicta sint de historia spiritus vini, quatenus patriam meam spectat; a qua quidem ulterius persequenda partim ob angustiam temporis, partim aliorum negotiorum causa inuitus discedo. Cum persuasum habeam, non solum ipsam generalem spiritus vini historiam magnam ab hac speciali lucem esse foeneraturam, sed et eandem ad illustranda varia alia argumenta multum allaturam. In Patriam autem redux fortasse aliquando ad

etc. ALEX. GWANINI A. 1581. vid. in *Re-
rum Moscouit. auctores varii*. Francof.
1600. p. 155 et 156.

r) l. c.

ad ea dilucidanda aliquid conferre potuero, quae ex cell. SCHLÖZERI sententia ex hisce disquisitionibus tam ad historiam vniuersalem, quam ad Europaeam redundare possunt s).

s) *Unstreitig hat die Erfindung des Brandweins, Tobaks, Zuckers, Kaffees und Thees in Europa etc. eben so grosse oder noch grössere Revolutionen in unserm Welttheile angerichtet, als die Niederlage der unüberwindlichen Flotte, der spanische Successionskrieg, der Pariser Friede etc. SCHLÖTZER's Briefwechsel Heft 44. pag. 95.*

A B V S V S.

§ II.

Omnis excessus vitiosus est, omne nimium vertitur in vitium. Vnde itaque magna ista copia Tractatum de abusu huius vel illius remedii? Credo inde, quod non accurate respexerunt ad eius sequelas immediatas. Sequelae remotiores abusus in viuo corpore humano nunquam sibi inuicem similes esse possunt, cum semper a praegressis morbis, vitae genere, aeris temperie aliisque circumstantiis modificentur et mutantur. Mihi itaque fere ridiculum videtur, omnes observationes et morbos, qui ab abusu spiritus vini ortum suum trahere possunt, in medium proferre, cum mutatis mutandis iidem aequae bene ab abusu aquae simplicis oriri potuissent.

§ 12.

Respiciamus tantummodo variam naturam sequentium morborum, qui omnes vnice abusui spiritus vini tribuuntur, quorumque numerum multo maiorem facere potuissem si voluissem. Sic ex eodem oriri videntur: Tremores, Paralyses et Conuulsiones. BOERHAAVE, RAMAZZINI *t)* Hydropes lethales, NONNIUS, RIEDLINUS, MONRO, HOFMANN, BRUCKMANN etc. *u)* Hydrophobiam DACHS *x)* Asthma et Phthi-

B 3 sin,

t) H. BOERHAAVE *Praelectiones academicae de morbis neruorum.* Lugd. Batav. 1761. T. I. p. 194. RAMAZZINI *opera omnia Medica et physiologica.* Genevae, 1717. p. 173.

u) LUD. NONNI *Diaeteticon* Libri IV. Antwerpiae, 1646. p. 494. RIEDLINI *lin. med.* Annus III. p. 570. MONRO *von der Wassersucht.* BRUCKMANN in *Commerc. Norimb.* A. 1742. hebdom. 27. p. 215.

x) *Abhandlungen für pract. Aerzte* B. 2. St. 2. p. 64.

sin, HALLERUS, ZÜCKERT, RIEDLINUS γ). Coecitatem LEDELIUS z) stupeditatem CLAUDERUS a) sanguinem album lacteum, BEYERUS b) sanguinem nigrum piciformem FODERÉ c), sanguinem sero maxime constantem pallidum LINNÉUS d). Vt breuiter dicam, vix existere morbum puto, qui non a quoquam obseruatore ex abusu spiritus vini fuisset deriuatus.

§ 13.

γ) HALLERI *Element. Physiol.* T. VI. p. 253.
ZÜCKERT *mater. eliment.* p. 356. RIEDLINUS l. c.

z) *Miscell. curios. med. physica Acad. Nat. Curios.* D. II. A. VIII. p. 198.

a) Ibid. D. II. A. VIII. Observ. 220. p. 542.

b) *36ter Versuch der Breslauer Sammlungen v. April 1726.* p. 507.

c) *Essai sur le Goitre et le Cretinage par Mr. FODERÉ.* Turin, 1792.

d) LINNÉ *dissert. de spiritu frument. respond.* BERGIO in LINNÉI *Ammoenit. Acad.* T. VII. p. 274. §. XVII.

§ 13.

Hic itaque tantummodo immediatae sequelae abusus spiritus vini adferendae videntur. Lectorem vero hoc loco moneo, me sub verbo *Abusus*, nimiam viresque humanas excedentem ingurgitationem intelligere.

Primi igitur effectus, quos talis intemperies in potatoribus exserit, sunt: mala concoctio ciborum, ructus acidi, dolor et oppressiones in praecordiis. His pedissequa est Anorexia, quae simul cum aliis cruciatibus saepe per annos integros miseros torquent, usque dum eos emaciatione, hydrope, ictero vel phthisi necent *).

Ab-

*) Vberiore elegantissimamque Descriptionem horum malorum quae initio parui momenti esse videntur, dein increcendo in grauiore morbos transeunt inuenit Lector in paruo Tractatu LETSOMII *History of some of the effects of hard drinking*. London 1791. Cum autem doctis-

Abiectissimi hi homines exhalata praegressa crapula maximis terroribus vexantur, inedia et siti potuum fortiorum immani excruciantur, vertigine et scotomia laborant, tremore manuum corripuntur, et ad omnia fere negotia cum sana ratione tractanda incapaces poenas, temulentia ipsa grauiiores, luunt. Inde vix ac ne vix quidem talis homo ab intemperie inueterata ad meliorem frugem reduci potest. Quam parum enim vel optima consilia, effrenata corporis desideria cohibere possint, neminem latet. Horum tristia exempla in BOERHAAVE sequentia legimus. “Vidi, inquit, hominem, qui per spirituum horum abusum, incidebat in palpitationes cordis, tremores, anxietates; si vero tantum vncia spiritus vini illi daretur, statim haec mala tolleban-

simus vir solummodo populo ibi regulas praescribit tum per se patet illum eiusmodi rigorem adhibere voluisse vt ne modicum quidem vsum eo concedat.

lebantur. Vidi iuuenem ex nobilissima stirpe genitum, ad omnia fere aptum, qui debacchasationibus se dederat; tantos ille patiebatur dolores, vt nec ipsum lectum ferre posset; sentiebat probe, quo delapsus esset, et dicebat etiam, quod non posset redire ad sanitatem, quia non poterat abstinere ab his spiritibus, et sic breui tempore extinctus est. Vidi studiosum, his spiritibus deditum, in quo aliquot menses ante mortem, nulla pars manebat libera a conuulsione, et qui tandem ita contrahabatur, vt genua ad mentum eius accederent, et sic suffocatus est ante 21 aetatis annum" e).

Fortasse autem latent etiam in corpore aliae adhuc acrimoniae, quae hanc immoderatam spiritus vini cupidinem producant, in aliquibus obseruatam. Saltem obseruat F. DE LA FONTAINE in libro, quem nunc ad manum habeo,

B 5

chirurg-

e) BOERHAAVE l. c. p. 195.

*chirurgisch medicinische Abhandlungen
verschiedenen Inhalts Polen betreffend,
Breslau und Leipzig, 1792. p. 18* mias-
ma plicae polonicae antequam critice ad
capillos transeat, talem saepius appeti-
tum spiritus vini excitare, adeo in iis,
quibus antea plane ignotus fuit.

§ 14.

Inuenio nouam obseruationem de
effectu singulari abusus spiritus vini in
extremities inferiores. FORTHERGIL
in Tractatu de morbis, quibus pictores
subiecti sunt, illam sequenti modo de-
scribit. “Datur dolor pedum, cuius,
quantum sciam, nullus auctor adhuc
mentionem fecit, inuenitur ille fere in
omnibus qui multum spiritus vini bi-
bunt, praecipue autem in foeminis,
quae huic noxiae consuetudini se tra-
diderunt. Cum mihi multa huius ge-
neris exempla occurrerent, semper in
hanc suspicionem veni quando aegro-
tum de continua vstione in plantis pe-
dum

dum querentem audiuerim, et proh dolor fere nunquam deceptus eram" *f*). Eodem etiam LETSOMIUS respicere videtur in sequenti descriptione: "Incidente aluo adstricta extremitates inferiores semper magis emaciantur, laevigantur ad imaginem politi eboris. Adeoque pedes fiunt nitentes et duri, eodem tempore tamen simul tam sensibiles sunt, vt minimus tactus digiti acerbissimos in eis producat dolores. Dantur autem etiam momenta, vbi ad illos prorsus insensibiles sint. Pedes et in vniuersum extremitates inferiores omnem motus facultatem perdunt. Similis paralysis etiam et brachia et manus corripit, ita vt infantum ad instar aliena manu nutriri debeant. Sic per annos viuunt absque sensibili quolibet habitus corporis mutatione" *g*).

Etsi

f) *Abhandlungen für practische Aerzte B. 3.*

p. 525.

g) LETSOM l. c. p. 7.

Etsi arthritis et Podagra nil nisi nomina sunt, et semper curam secundum variam originem, diuersam exposcant; tamen fieri posset, vt aliquis secundum inueteratam consuetudinem calidis diaphoreticis antarthriticis malum hoc debellare suscipiat, vbi verosimiliter tantummodo remedia leniter resoluentia et roborantia prodesse possunt.

§ 15.

Aliae a pluribus imo fere omnibus obseruatae sequelae immediatae abusus spiritus vini, sunt, Induratio, Callositas, Angustia et aliquando vera ossificatio oesophagi vel ventriculi vel intestinorum. Vnde diuersa mala, secundum differentiam partis affecti prodeunt. Mirandum est, hanc indurationem aliquoties tantummodo in vna parte intestinorum, saluis caeteris, contineri. Sic METZGERUS potatores ex ossificatione oesophagi misere vidit fame perire, et in sectione reperit omnia viscera

viscera sana ne ventriculo quidem excepto. At oesophagum toto eo tractu, quo asperae arteriae subiacet, contractum, callosum, osseum et ita lumine angustatum vt vix tenuem transmitteret stylum *h*), Dr. COHAUSEN similem obseruationem, in bibace institutam, tradit, in qua tamen nullam ossificationem vidit, sed oesophagum paullo infra pharingem maxime coarctatum, coalitum et induratum deprehendit *i*). Memorabile praeterea est, hoc malum sub ortu suo plane nullum fere dolorem excitasse.

Porro obseruat cel. RUSH milites vino nimis deditos in vltimo bello Americano maxime febribus putridis obnoxios fuisse *k*). Et *Mercuriali* teste omnes

h) I. D. METZGER *Aduersaria medica*. Traiecti ad Mosam, 1774. p. 175.

i) *Commercium litterarium Norinbergicum* A. 1741. hebd. 25. p. 196.

k) *Abhandlungen für practische Aerzte B. II.* P. 723.

omnes sine exceptione potatores in *Padua* tempore pestis animam efflarunt *l)*.

Causa huius rei facile patet. Corpus enim per frequentes crapulas debilitatum, dum ex aëre eum circumdante omnibusque sic dictis rebus naturalibus novas vires quaerit, facillime miasmata virulenta inbibit.

§. 16.

Vt paucis rem absoluam, abusus spirituosorum potuum sequentes mutationes in corpore humano producit: Constrictionem, Angustiam, Callositatem et Scirrhositatem primarum viarum *m)*, Indurationem et obstructionem

l) Mercurialis tractatus de Peste cap. 22.

m) DE HEEN *Praelectiones* in H. BOERHAAVE *instit. pathol.* Viennae, 1781. Tom. IV. p. 431. L. N. LEPENTIN *Philos. Gesundheitsbuch.* Lübeck, 1786. p. 79. PIETSCH *im Hamburger Magazin* B. 3. pag. 178. PET. POTERII *opera omnia additamentis*
F. HOF-

nem glandularum mesenterii aliarum-
que n) *). Nerven ipsos afficiendo
multis

F. HOFMANNI. Francof. ad Moenum, 1698.
p. 46. I. L. LOESEKE *observationes ana-
tomico - chirurgico - medicae*. Berolini,
1754. p. 36.

n) BEHRENS *Selecta diaetetica*. Francof. 1710.
p. 394. SCHMUCKER'S *vermischte chirurg-
ische Schriften*. B. 2. die 31te Bemerk.
M. ABRAHAMOVITZ *Diss. de spirituosorum
liquorum noxa atque utilitate*. Halae,
1743. p. 8.

*) Cum fere sine exceptione in omnibus
sectionibus cadauerum potatorum, hepar
induratum vel obstructum cum vitiis alio-
rum intestinorum observatum fuisse le-
gam, et tamen tam parvus numerus eorum
hydrope moriatur, sed maxima pars ema-
ciatione et Phthisi necetur; Etiam hinc
sententia RICHTERIANA confirmari mihi
videtur, obstructions viscerum rarius in-
ter causas hydropis esse numerandas. Si
vero quis inferat, multos interdum Po-
tatores hydrope a causa memorata perire,
hic reputet velim, quantopere corpus talis
hellu-

multis morbis inde oriundis ansam
praebet. Ita vt BOERHAAVIO monente
vix

helluonis per peruersum eius vitae genus,
nimias vigilias etc. sit debilitatum; porro
quam saepe talis homo exaestuans potus
frigidos bibat, seque maximo frigori ex-
ponat, et quam facile inde ad causam
praedisponentem, debilitatem scilicet, ir-
ritatio rheumatica tanquam causa occasio-
nalis, frequentissima hydropum, accedere
possit. Quam facile porro vita tam per-
versa exanthemata simul retropellat, et
quam saepe denique fautor Bachi simul
est fautor et Veneris. Ita vt nihil ad cau-
sas memoratas excitandas amplius desi-
deretur.

Ast audax essem si rei a RICHTERO,
tanti nominis viro cum solidissima erudi-
tione pertractatae aliquid addere voluis-
sem. Liceat mihi tantummodo hoc loco
perillustri huic viro hic publice gratias
quam maximas, pro eius in me meritis
referre. Qui non solum mihi publice
praeceptor fuit, sed etiam maxima huma-
nitate mihi permisit multis operationibus

a se

vix detur morbus, nervis proprius, qui non a potu horum spirituum nimio, oriatur.

Qualis ergo ac quanta morborum cohors ex memoratis laesionibus oriri non posset, quos facile esset hic enumerare, nisi timerem, me quasi in propriam possessionem venisse nihilque aliorum iudicio reliquisse. Hoc tantummodo repeto, omnia ista mala non nisi ex immoderato eodemque continuo spiritus vini abusu deriuanda esse, meque intime persuasum habere, cum raro aliquis ita se potui totus det, multa mala quae abusui spiritus vini vulgo adscribuntur, ex parte aliis infortuniis, quibus ebrii obnoxii sunt, variisque ex causis ortum suum trahere posse.

§. 17.

a se institutis adstare, cuiusque fauor, quo me semper amplexus est, nunquam gratam memoriam derelinquit.

§. 17.

Satis iam dictum puto de sequelis physicis ex abusu spirituosorum provenientes. Nocet ille multo magis respectu morali. Iactura enim, quam societas humana eiusmodi civis omnem sensum honestatis negligentis continuo-que se vino ingurgitantis fecit, nullo modo tanti est aestimanda, quanti corruptio totius familiae, a tali homine pendentis. Quid enim a liberis expectandum est, qui quotidie exempla inhonestissimarum actionum parentum suorum ante oculos habent, in squalore et sordibus adollescunt, imo interdum ad facinora maxime reprobanda incitantur, ut scilicet media, quibus parentes libidinibus inordinatis satisficiant, subministrent. Eiusmodi parentum nati prae ceteris commiseratione nostra sunt digni, ut qui multo magis, quam pauperrimi in orphanotrophia recipi promereantur.

§. 18.

§. 18.

Magis quidem optandum esset, vt malum hoc radicitus extinguere posset, id est, vt media reperiri possent, quibus huic abusui praecaveatur. Ill. SCHLÖZERUS responsum huius quaestionis mille ducatorum pretio aestimat, dum centum pro optima methodo spiritum vini minori pretio parandi dantur o). In Anglia tentatum fuisse dicunt, magna vectigalia in spiritum vini imponere, venditionemque eius in parua copia prohibere, sed sine successu. Cell. MICHAELIS itaque in fine huius libri proponit aliud remedium, quod satis sese commendat; vult nempe, vt populo surrogatum aliquod porrigatur. Observauit enim in regionibus, vbi vina parantur minorem copiam spiritus vini consumi, et in Germania boreali multo magis

C 2 artem

o) *Von der Unschädlichkeit der Pocken in Russland und von Russlands Bevölkerung überhaupt.* Gött. 1768. p. 39.

artem destillatoriam restrictam fuisse
ab eo inde tempore, quo magis coffea
vti coeperunt.

Fateor me pro nobis Rossis tale
surrogatum nescire, nisi fortasse Theam.
Nunquam autem credo, illam plane
abolere posse modicum et pro nostris
ciuibus certe etiam tempore hyemali
salutarem vsum spiritus vini. Quando
autem semel permittitur vsus, quam
facilis tunc via ad abusum est? Ad
hunc itaque praecauendum opera
danda esset.

Persuasum mihi habeo, vsum mo-
dicum populo nostro, clima frigidum
inhabitantibus, victuque duro vtenti vti-
litatem adferre, paruosque excessus in
illo etiam non tam vi venenosa spiri-
tus vini, quam potius illis accessoriis
infortuniis quibus ebrius obnoxius est
nocere! Cum talis saepe aestu feruens
in niuem cadat ibique quousque quis
eius misereatur iacere debeat, vel sub
lapsu

lapsu in glaciem vel alia corpora dura illidat sibi que noxas mortiferas inferat. Optandum igitur esset, ut usus spiritus vini inter plebem restringeretur, non autem ex toto adimeretur.

Quid itaque si mandato edito (hic in specie de Rossia loquor, ubi omnis spiritus vini vnice in tabernis publicis [Kaback] venditur) vetaretur, ut nemini in taberna tantum vini bibendum porrigeretur, ut sese inebriare quis posset. Ita ut si publici morum censores hominem ebrium e taberna euntem inuenirent, caupo in culpam vocandus esset. Neque etiam timendum est, quemdam cauponum hac in re iniuria adfectum iri, cum oculus eorum exercitatus sobrium facile ab eo, qui ebrietate iamiam proximus est, distinguat.

Quanquam omnia haec non in totum, sed ex parte tantummodo ab usum praecauere potuissent; dum vino

iam in totum deditus nunc libidini domi suae indulgebit; hic autem contendendo, eum non solum facilius a nimio spiritus vini potu a suis cohiberi, et quod praecipuum est, a pluribus vitae periculis custodiri posse, in quae per vehementiam frigoris, graues lapsus e. s. p. foris facilius incidere potuisset.

§. 19.

Dixi antea me credere, non tam vsum spiritus vini quam nimiam eius ingurgitationem nocere. Ad quam assertionem exemplum integrarum gentium me ducit. In Suecia et Rossia raro inuenies, qui non ante prandium aliquantulum spiritus vini caperet, absque vilo periculo abusus. Et tamen cell. LETSOMIUS quemlibet exhortatur, ex plena, vti ipse asserit persuasione, ne ad minimam quidem guttulam huius magici potus adsuescendum, quia raro vel nunquam ab hoc habitu

habitu postea desistatur *p*). Si porro vsus spiritus vini tam pestifer esset, non intelligerem, vnde veniret, quod numerus quotannis apud nos morientium, illum non excedat, quem in aliis regionibus obseruamus. Legi multis in libris, vsum spiritus vini in America maxime mortiferum fuisse; fateor me initio ex experientia supra nominata, hoc non credidisse; fortuito autem inueni descriptionem methodi, qua barbari isti in computationibus suis vtuntur, et omnia mihi perspicua facta sunt. In descriptione anonymi cuiusdam incolarum Americae legitur. "Antequam detexeramus illos, de potibus spirituosus nil sciuerunt. Postquam autem illos cognouerunt, vnicum incitamentum diligentiae eorum facti sunt. Quando semel incipiunt bibere, non prius cessant, quam potus ipsi et omnia consumta sunt, quibus novos sibi comparare possunt. Ebrii facti

C 4

humi

humi iacent, rigori ventorum, tempestatis et mille aliis discriminibus expositi. Exspirant animam in fluuiis et paludibus, in ignem cadunt et saepe alter alterum accidit" *q*). Hunc imprudentem modum, quo Barbari in bibendo vtuntur, etiam WAFERUS bene describit *r*).

Quis nunc non videt, quantum ex noxis, quae spiritui vini vnice adscribuntur, aliis circumstantiis sit tribuendum.

Cell. MEINERS contendit, causam maioris vel minoris appetentiae potuum fortiorum non in regionum situ et aëris temperie, vt septentrionis vel meridiei, sed tantummodo in maiori vel minori gradu culturae quaerendam esse

q) *Universal magazin of knowledge and pleasure*, for May 1757. p. 193. vel in versione *Hamburgisches Magazin* B. 24. p. 463.

r) WAFERS *Reisen nach der Erd-Enge Darien* p. 153.

esse. Et ego contenderem, maiorem gradum culturae etiam optimum medium esse, quo spiritui vini magna pars perniciositatis adimi posset. Hac ex causa et ex hac vnice, vsus eius in germania longe minus noxius est, quam in America.

§. 20.

Hic sectioni de spiritus vini abusu finem impono, quam quidem vltra dimidium adhuc extendere potuissem, si omnes obseruationes circa noxias sequelas abusus huius potus institutas, ordine recensere voluissem. Sed iure mihi verendum erat, vt eo maiori toedio Lectores affecissem, quo vberius hanc rem persequi voluissem. Cum in rebus, quas propria meditatione quis adsequi potest, omnem is operam perdat, qui cuncta ad vnguem delineare velit.

Omnes, vt hoc iterum dicam, tristes sequelae ex spiritus vini naturali

prietate sponte fluunt; quas tamen ille nunquam exserere potest, nisi maxima copia et immoderate haustus; et tunc mala, meditando tanquam possibilia ex memorata proprietate deducta, multum superabunt numerum eorum, quae experientia hucusque oculis nostris obtulit.

V S V S.

§. 21.

Nullus fuit morbus et nullum existit malum, a quo spiritus vini tempore primae inuentionis aegrotos non liberasset. Et longo adhuc tempore post iisdem honoribus excipiebatur. Ita ut etiam nostris hisce temporibus a plebe eadem merita ei tribuantur. Sed immodice vsi sunt hoc bono. Ex hoc abusu multa mala oriebantur, et sic ad alterum extremum abierunt, vsumque innocentissimum venenosum pronunciabant.

Bene maleque in eo egerunt. Bene: cum vsus hic modicus diaeteticus in praetextum abusus multis inseruire posset, saepeque fortasse eo abduceret. Male: cum reiiceretur medium, cuius utilitas multis in casibus nullo modo negari potest.

§. 22.

Multum in vtramque partem disputatum est, an spiritus vini ante vel post prandium ad facilitandam digestionem modice haustus sit admittendus vel non. Ii qui illum reiecerunt, varia argumenta protulerunt. Fuit tempus, quo digestio ciborum ex fermentatione explicabatur. Inueniebant, spiritum vini fermentationem impedire, et quid nunc facilius fuit, quam quod omnes id credentes eo processerint, ut usum istum plane vetassent. Alii per aliquas observationes de abusu eius conuicti, usum omnem interdixerunt. Alii denique, postquam per experimentum viderunt alcohollem sanguinem coagulare, crediderunt, simul eum succos gastricos eodem modo inspissare, itaque usum eius ex toto reiecerunt. Quid autem ad me tales analogicae conclusiones, vel etiam experimenta extra corpus humanum facta, quando natura alia monet; quid ad

ad me experimentum cum paucis guttulis sanguinis et alcoholis extra corpus institutum, quaudò Gossius per experimenta magis probantia, in corpore humano instituta, spiritum vini parua dosi haustum ad media digestionem facilitantia numerat s).

Credo itaque omni iure hunc vsum defendi posse. Vivimus iam in periodo temporis, vbi educatio effeminata, luxuria iam mature incepta, vsus continuus potuum et ciborum calidorum relaxantium, stomachos plurimorum ita debilitarunt, vt digestio ciborum concoctu facillimorum stomacho saepe molestias paret. Nonne hic medium, ante prandium adhibitum, commendandum esset, quod stomachum ad maiorem vigorem excitaret, per stimu-

s) *Expériences sur la digestion de l'homme etc. par l'Abbé SPALANZANI avec des considérations sur sa méthode de faire des expériences par J. SENEBIER: a Geneve, 1783. p. 139.*

stimulum maiorem copiam succorum digestionem inseruientium aduocaret, et sic maiorem ciborum appetitum et faciliorem concoctionem produceret. Omnia haec expectanda sunt a parua *f* dosi spiritus vini statim ante prandium capta.

Praecipue credo, illum iis afferre magnam vtilitatem, qui tali stimulo opus habent, vinum vero eius aciditatis et inde orientium ructuum acidorum, flatuumque causa, ferre non possunt.

f Si autem hic vsus alicui vel minimam sensationem ingratam excitaret, ne insistat his, sed, hoc modo a natura admonitus, ab usu spiritus vini abstineat. Quibusnam constitutionibus ille absolute sit denegandus, paulo infra indicabo.

§ 23.

Vsus modicus spiritus vini certe et iis maxime conducit, qui loca exhalationi-

tionibus putridis referta frequentare, ibique ex officio diutius commorari debent. Promouet enim exhalationem, et sic puto, eum resorptionem horum effluuiorum noxiorum impedire. Credo itaque medicos bene agere, si, ante quam nosocomia, aegris febre putrida correptis, referta, quae tam multos iam egregios viros, in arte salutari assiduos, abripuerunt, intrent, capiant pauxillum spiritus vini.

Cel. PRINGLE dicit, ipsum abusum spiritus vini morbos castrenses non producere, eo tantummodo nocere, quod debilitet; et pergit, quando etiam aliqui pauci ex abusu eius aegrotent, nos tamen persuasos esse posse, sanitatem multo plurimum per vsum modicum potuum spirituosorum conseruari *t*). Inde maxime vsum eius militibus exercituum commendat. Ipsa praeterea experien-

t) PRINGLES *Beobachtungen über die Krankheiten der Armee. Altenburg, 1772. p. 100.*

perientia monstravit, vsum modicum spirituosorum in castris numerum morborum contagiosorum maxime diminuere u), eumque etiam tempore pestis vtilissimum esse x).

Quum porro spiritus vini, vti iam diximus, poros cutaneos aperiendo et circulationem accelerando, transpirationem promoueat; tum in itineribus maritimis, modice distributus, praestantissimum erit praeservatiuum contra scorbuti luem, a transpiratione, per humidam aeris maritimi temperiem, suppressa, plerumque deriuandam. Hic mihi tantummodo Cel. LIND et Hofmann nominandi sunt, qui illum maxime commendarunt y).

In

u) HANEMANN *siehe die Anmerkung zu CULLENS mat. med. B. 2. p. 479.*

x) Iwana Wiena opisanie morowoi Jaswi w' Sanct Peterburge, 1786. p. 346.

y) LIND *Tentamen supra remedium efficacissimum ad tuendam sanitatem nautorum classis regiae.* Hofmann *vom Scharbock* p. 234.

In genere credo, in aere humido nebuloso et frigido debilibus pauxillum spiritus vini magnae vtilitatis fore.

§ 24.

Adhibitus etiam fuit spiritus vini in alium vsum, qui non ita notus factus est vti meretur, etsi prima elementa chemiae eo deducere debuissent. Loquor de usu eius contra effectus spasticos et dolores, a purgante drastico resinoso, ortos.

Detur hic ille secundum Cel. Clossium semper paruis interuallis paruaque copia, donec omnes dolores euanescant 2). Illis vero, qui spiritum vini auersantur, vinum hispanicum loco eius dari potest, vti Houlstonius maximo successu fecit a).

§. 25.

2) I. Clossii *noua varioles medendi methodus*. Traiect. ad Rhenum, 1766. p. 123.

a) *Abhandlungen für pract. Aerzte* B. I. St. 4. p. 43.

Tamquam remedium contra febres intermittentes multis in locis a plebe adhibetur, imo primum eius refugium esse solet. Nec naturae huius febris contrarium est statuere, illum saepius bono cum successu his morbis sanandis inseruisse. Aliquot tantum observationes loco multorum: Cel. RAMAZZINI dicit “vidi pauperem agricolam a duplici tertiana ad longum tempus conflictatum et iam in magno discrimine versantem, cui nec detractus fuerat sanguis, nec ullum aliud remedii genus adhibitum, solo vini generosi potu, meo consilio propinati, feliciter conualuisse; sic multos alios noui, hoc solo cardiaco restitutos, aquae usu ac ceteris remediis ablegatis” *b*). Et C. I. T. DE MEZA narrat historiam puellae decem annorum tertiana correptam. Emetica, purgantia, Cort. Peruv, Cariophyl. exhibita erant, nec inde vlla mutatio

b) RAMAZZINI opera p. 128.

mutatio in melius. Parentes denique ad spiritum frumenti, cum succo citri A refugium sumserunt, quem accedente paroxysmo hauriendum dabant; inde sequebantur calor et rubor in ore; de ardore ventriculi querebatur puella, sudor prorupit copiosus, ac demum, nullo alio accedente symptomate, febris emansit c).

Certe autem quiuis optabit, vt plethorici frigus febrile, hoc potu pellere non suscipiant, ne tempore frigoris, vbi omnis sanguis ad partes internas comprimitur apoplexia corripiantur.

Sed multa mihi dicenda essent, si omnes occasiones recensere vellem, quibus spiritus vini a plebe in vsum vocatur. Est ille eius medicina vniuersalis, et verasimiliter partim ea de causa, quod vulgus tantummodo medicaminibus vehementer afficientibus

D 2 magnos

c) *Acta Regiae Societatis medicae Havniens.*
Vol. III. p. 392.

magnos effectus tribuit, partim ex ea, quod experientia duce iam saepe eius vtilitatem vidit. Qua de re etiam ego, licet usu intempestiuo saepius iam nocuerit, hunc vsum plebi non ex toto, denegare vellem.

Victus eius frugalis vti et genus vitae in vniuersum, effecit, vt morbi catarrhales et rheumatici prae reliquis eam corripiant; credoque, tunc statim primo initio paruam dosin spiritus vini et lectum calidum medicamenta non contemnenda esse. Praeterea et venae sectiones vulgo satis notae sunt, ita vt in casu febrili ad has refugium sumant et panaceam suam spiritum vini scilicet, obiiciant.

§ 26.

Feminae hystericæ eo vtuntur ad sopiendos paroxysmos hystericos. Ad calumnias pertinere credo, quod multi assererent, illas tantummodo in praetextum adpetitus, cui assueti sunt inservire;

seruire; vt autem illas suspicione exsoluam, easque multis a noxis possibilibus custodiam, cum colicae illarum etc. ex causa haemorrhoidali e. s. p. originem trahere possunt, suaderem, loco vsus interni spiritus vini, calefactum externe applicare. Illum hoc modo adhibitum etiam in maximis affectibus vtilem fuisse multis experimentis edocti sumus, et noxae possibles tamen non tam graues esse possent.

§ 27.

In morbis pituitosis SUMEIRE optimos effectus a spirituosus vidit *d*). Et secundum LINNÉUM multis tamquam anthelminticum commendatur *e*); quod ingrato, sed certe non contemnendo vsui in Suecia, vbi illum allio infundunt,

d) *Journal de médecine, chirurgie, pharmacie etc.* Tom. 60. A. 1783. M. Novembre p. 431.

e) LINNÉ l. c. p. 275.

dunt, et sic contra vermes propinant, ansam dedit.

FORDYCE, cum multis remediis sine fructu contra dyssenteriam vsus esset, optimos effectus exserere vidit remedium, quod constabat ex gr. x Ipecacuanhae in cochleari sp. vini gallici propinatum. Alio loco apud eundem legitur: Se choleram, vomitum ac ventris fluorem frequentissime compesci vidisse, praesertim in grandaevis, solo sp. vini deflagrato, idque ceteris quibuscumque remediis nihil valentibus f).

Cel. FORDYCE autem, ut mihi videtur, more cinium suorum, hic nimis generaliter loquitur. Quantum utilitatis remedium eius in cholera a refrigerio adtulit, tantum noxae credo illud certe in cholera a profusione bilis adferre posse.

§ 28.

f) GUL. FORDYCE *Fragmenta chirurgica et medica*. Londini, 1784. p. 24.

§ 28.

Nullum datur venenum, quod non ita adhiberi posset, vt medicamentum fieret; et vice versa nullum inuenitur medicamentum, quod non peruerso usu in venenum abiret. Per se itaque intelligitur, et spiritum vini non in omnibus casibus et omnibus constitutionibus concedendum esse. Corpora sicca, Plethorici, ad congestiones ad pectus procliuēs, haemorrhoidarii, melancholici et athrabilarici, illum semper vitare debent. Certe etiam vsus eius noxius fit in obstructionibus abdominalibus, vitiis hepatis et omnibus profluuiis sanguineis. Phlegmaticis contra, frigidis et pituitosis ille optimē conuenit.

§ 29.

Infantibus vsus eius in genere prohibendus est. Vix etiam credas, hunc potum a quoquam paruulis porrigi, sed tamen, quod mireris, multis in observationibus lego, pluribus in regio-

nibus non inusitatum esse, infantibus paruis dosibus spiritus vini somnum conciliare. Exemplum memorabile narrat SANDELS de duobus infantibus qui, cum eorum mater etiam spiritum vini maxime amaret, illum et infantibus istis diligenter porrigebat. Tam exiguae staturae inde facti erant, vt filius septem annorum, magnitudine corporis puerum duorum, et pondere alium vnus cum dimidio vix aequaret. Filia novem annorum erat, et ab omnibus quatuor annorum esse putabatur g).

Cel. CAMPER infantibus quam diu lacte nutriantur vsum vini prorsus denegat, et eius loco, si irritamento opus esset, infantes per totum corpus vino lauari commendat h). Sed et hoc consilium caute est adhibendum, cum

BOER-

g) *Abhandlungen der Königl. Schwedischen Acad. der Wissenschaften B. 7. p. 171.*

h) *Abhandl. für pract. Aerzte B. 2. St. 1. pag. 60.*

BOERHAAVIUS infantem a tali tractatione convulsionibus extinguere vidit *i*).

§ 30.

Nutrices quae adhuc infantes alunt, spiritu vini plane abstineant. Apud Cel. LINNÉ legimus, nutricem aliquando, cum ieiuna adhuc, sumto maiori huius liquoris haustu, paulo post infanti mammas daret, convulsiones eidem ac mortem accelerasse *k*). Similiter ROSENSTEINIUS observavit, infantem qui in vrbe semper alacer et vividus erat, ruri aegrum et inquietum fuisse, inuenitque denique nutricem eius, vna cum aliis ancillis sp. vini hausisse; simulac autem hoc illi denegatum fuit, infanti pristina alacritas redibat *l*).

D 5

§ 31.

i) BOERHAAVE l. c. p. 196.

k) LINNÉ l. c. §. XV. p. 273.

l) ROSENSTEIN *Kinderkrankheiten*. (Gött. 1785. p. 8.

Postremo consilium, quod a multis tam saepe iam datum fuit denuo hic repeto, suadeoque hominibus semel iam vino adsuetis, nullo modo eius vsum ex toto simulque denegare; ne in morbis quidem qui alias eius vsum contraindicarent. Inter multa attentionem promerentia exempla, illa quae a MONROO habemus certe digna sunt quae hic adferantur. Vir quidam fracturam pedis patiebatur, post repositionem ossis, diaeta antiphlogistica ei praescribebatur. Altera die pulsus inveniebatur celer sed debilis, et aeger querebatur de dolore capitis et siti etc. MONROUS vitia diaetetica praegressa suspicabatur, eaque de causa rigorosissimam diaetam ei commendabat; nihilominus vesperi non melius sese habebat, non dormiebat, incipiebatque delirare, subsultu tendinum corripiebatur, et neminem novit. Dicebant MONROO se certe aegrotum occisurum esse,

esse, nisi ei potum cereuisiae anglicae et sp. vini concederet, cui adsuetus erat. Quod cum factum esset, altera die aeger a febre, alienatione mentis et omni discrimine liberatus erat. Alius in labrum supinus cadebat, in quo residuum sp. vini et quidem adhuc feruens conseruabatur. Coxae, pedes, scrotum, penis et abdomen tam vehementer ambusti erant, vt cutis harum partium breui tempore nigredine et duritie induceretur. Adhibitis prius ob pulsus duritiem ac celeritatem venae sectionibus, nec non diaeta antiphlogistica, institutae nunc erant incisiones, inunctiones et fomentationes, ad producendam suppurationem, quae tamen omnia ne minimum quidem in melius mutabarunt statum aegroti, sed semper peius sese habebat, et fere eodem statu cum illo priori versabatur. Postquam vero suasu vxoris sp. vini potus ei permittebatur, suppuratio incipiebat et aeger restitutus fuit.

Quo

Quo facto illa confessa est, se quotidie sextarium (*Nössel*) sp. vini aegroto marito propinasse *m*).

Ita vt hinc facile videre sit, naturam vna vice praua consuetudine imbutam, non tam facile expelli posse atque debere; omnibusque praeceptis nostris medicis pertinaciter resistere.

Sed fortasse etiam hic, vt in aliis similibus casibus sp. vini opii instar vim sopientem exseruit.

§ 32.

Experientia etiam edocti sumus, ne in statu sano quidem helluonem vno ictu et simul a sua libidine auocandum esse, cum hydropes et alia innumerable mala facile inde sequantur. In immensa copia remediorum quae ad abolendum hoc vitium excogitata fue-

m) A. MONRO *des ältern, sämtliche Werke*, Leipzig, 1782. p. 352.

fuerunt, mihi sequens omni respectu optimum videtur, vtpote quod ne minimum quidem detrimentum sanitati infert. Ipsa inuentio facta est a potatore, qui adsuetus erat quotidie certum numerum poculorum exhaurire; vt vero paulatim et insensibiliter ab hoc usu decederet, animo proposuit semper post euacuationem poculi, guttulam cerae signatoriae in eius fundum instillare, quod cum cera denique plenum esset, eius potandi libido cessabat.

Cuicunque helluoni aequale propositum cum eodem successu ex animo exopto!

THESES.

I.

Achatus, ut cel. BLUMENBACHIIUS vult, speciem singularem in classificatione lapidum, efficere non videtur.

II.

Maximum incrementum mineralogiae studio accessit per accuratam definitionem Notarum externarum WERNERI.

III.

Non datur medicamentum specificum antiscrophulosum.

IV.

Paracentesis ad prima remedia contra ascitem est referenda.

V.

Non datur certum signum phthiseos pituitosae.

VI.

VI.

Febris vulneribus accedens vix unquam mere inflammatoria est.

VII.

Hydrops multo frequentius ex irritatione vasorum lymphaticorum, quam ex obstructione oritur.

VIII.

Origo Basalti aequè bene ex igne, quam ex aqua deriuatur.



